ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Ea mihi perspecta est singularis humanitas tua, Vir eruditissime, tantaque de te apud nos decantata fama, ut magnitudini eius nihil desit, aliis atque aliis exemplis eam non confirmari tantum iudico, sed etiam augeri. Itaque sistere tibi ausus sum, qui has tradunt, de Bannieriorum apud Suecos gente iuvenes nobilissimos. Illi, nostris etiam litteris egregie imbuti, Romanam supellectilem, quae quidem apud te instructissima est, propius inspicere gestiunt. Qua in re si eorum vota expleveris, ipsos meque quovis nexu devinctos tibi semper agnosces. Tuam autem de oppido Batavorum elegantissimam commentationem quando visuri sumus? Aut debebas desideria nostra non excitare, aut explere. Vale, vir clarissime, et me inter eos habe, qui eximias illas virtutes tuas non amant tantum, sed admirantur.

Lugd. Bat. CIↃIↃCXLII, Aug. XV.

Reverendo nomini tuo
dicatissimus
Marcus Zuerius Boxhornius.

B.P.L. 1886

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1886
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0342

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1886
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0342